



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10261**

De S. Glodesinde virgine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Capite pu-  
nitur.

caput ei amputatum est. Porrò Christiani rapuerunt corpus eius, & cum digna veneratione sepelièrunt octauo Calendas Augusti. In eo autem sepultura eius loco virtus Domini nostri Iesu Christi per sanctum suum martyrem potentibus benignas præbet aures, & pijs precibus præstat effectum in laudem & gloriam nominis sui: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Cap. II.  
Corp<sup>o</sup> eius  
transfertur.

Passus est beatus Cucuphas pro gloriosa confessione nominis Christi, & sepultus apud Barcinonem octauo, vt diximus, Calendas Augusti. Indè verò postea tràsatum est venerabile corpus eius à Fulrado reuerentissimo & religioso Abbate cœnobij sanctorum martyrum Dionysij, Rustici & Eleutherij 14. Calendas Martij, in Cellam eiusdem cœnobij, quam idem Fulradus in suo proprio munificencia diuinae memorie Caroli Imperatoris cõstruxit, & patrono suo eximio Dionysio tradidit: quæ quidem sita est in saltu \* Vosago, diciturq; Lebraha. Vbi cum aliquandiu ita, vt allatum erat, inhumatum iacisset, religiosi patris & eiusdem monasterij Abbatis Hilduini expeditiori consilio, solerti studio & ingenti desiderio (vt erat Dei & sanctorum eius amator & cultor) in crypta ad pedes beatissimi Dionysij sociorumque eius, quam idem Hilduinus in honorem Dei, & sanctæ atque intemeratæ eius genitricis & sanctorum omnium extruxerat, Dominicæ incarnationis octingentesimo tricesimo quinto, octauo Calendas Septembris, humatum est.

\* aliàs Vo-  
gaso

VITA S. GLODESINDIS VIRGINIS, CVIVS  
AVTHOREM QUIDAM CODICES HABENT QVEN-  
dam Bernardum Abbatem, alij Arbertum monachum. Stylum, vbi  
visum est, nonnihil mutauit F. Laur. Surius.

PRAEFATIO AVTHORIS.



VLTA iandiù prece sanctitatis vestrae, sorores in Christo charissimæ, me paulò immoderatiùs perurgente, nè quid vestrae negarem dilectioni, id demùm effecit, quòd id, quod petebatis, non modò honestū, sed etiam omninò pium & religiosum est: idque me perpetuò recusare, cum indignum, tum verò etiam periculosum sentiebam. Etsi enim pares tantæ rei vires me putabam adferre non posse: at rursùm animum subibat, quo difficiliora suscipiuntur propter charitatem, quæ non sua, sed quæ proximorum sunt, cogit spectare, eo faciliores per eam ipsam successus obtineri. Neque in ijs rebus, quæ Dei sunt, verendum est illi, qui eas curandas suscipit, illum propter ipsam operanti defuturum: modò nè fide vacillet. Cogitis itaque, vt sacratissimæ virginis Christi Glodesindis, cui deuotas continenter excubias defertis, quæ conuersationis iniriã, qui totius sequentis vitæ actus, quis demùm è vita excessus fuerit, quantum ex scriptis, quæ ad nostram ætatem qualibuscunque literis annotata habentur, colligi liceat, stylo prosequi attemptem. Quod sanè tam longo tempore, tam multa instantia flagrantibus vobis cum indecorum sit abnuere, ope eiusdem præstantissimæ virginis, Deo puro spiritu inhaerentis, tum vestris quoque fretus orationum subsidijs, etsi non sine rubore quodam, vt qui propriij ingenij tenuitatem agnoscam, ocyùs iam tandèm absque longis ambagibus narrationi me accingam.

VITAE NARRATIO.

Iulij 25.

Parentes S.  
Glodesin-  
dis.

Despõsatur  
Oboleno  
adolescenti  
nequissimo.



EMPORIBVS \* Childerici Francorum Regis in Gallia Belgica virgo Domini Glodesindis egregijs orta natalibus, patre illustrissimo, eodemque Duce clarissimo, qui Vuintro dicebatur, matre Gudila, non impari generis nobilitate: ab ineunte ætate multa virtutum dote insignis, multisque de se castitatis exempla præbitura, vita & moribus clara enituit. Cumque in parentum domo in puellaribus annis integrè & omni cura ac studio esset educata, vbi tempus aduenit, quo ad nuptias traderetur, iuuenti cuidam, Oboleno nomine, à parentibus ex more sponsa decernitur: sed Christo illam vbique protegente, non minus

minus corpore, quam animo, intacta seruat. Et o miram semper Dei miserentis erga electos eius benignitatem & custodiam. Cum post desponsationem iuuenis virginem, ut fit, a parentibus accepisset, domum eam cum grandi frequentia, nuptias paraturus, abducit. Sed quia sancta virgo caelesti sponso iam corpus & animam suam consecraverat, non sine nutu Dei iubente Rege euocatus iuuenis, ad palatium eius cum festinatione contendit. Vbi eodem peruenit, multis ei nefarijs illatis criminibus, Rex gra-

Sponsus eius capite punitur.

uiter in eum commotus, arctae cum custodiae iussit tradi, & integro anno, ita ut dignus erat, carceris squallore confectus, educus tandem, lata in eum sententia, capite ple-

Respuit alterum sponsum.

xus est. Ita sancta virginitas, dum totis viribus carnalem respuit voluptatem, cunctamque gloriae temporalis pompam pro nihilo ducit, Domino Iesu Christo, quem omnibus rerum labentium praeferebat illecebris & oblectamentis, pro ipsa decertante, cui vni, ut semper optauerat, corde & corpore inharebat, lata & victrix de corruptione triumphat.

Sed neq; sic tamen aduersae potestatis defecere doli & machinae. Pater, nece sponsi prioris accepta, puellam venerabilem rursus compellit cogitare de nuptijs. Illa vero, quae iam sponsum Christum ipsis animi medullis imbiberat, modis omnibus recusat, nec animum semel virtuti additum, qualibet inductione ad consensum inclinari sustinet. Iam aduentabat dies, quem parentes nouis nuptijs praestituerant, & sancta virgo praeter eius speciem, quem oculis interioribus incorruptibilem, immarcescibilem, immortalem contemplantur, nouum sponsum, post paululum putredinem & vermem futurum cogitans, patre pie contempto, ad Dei & sanctae matris Ecclesiae perfugium se recepit. Erat patri eius soror memoranda sanctitatis, \* Rothilda nomine, apud Treuiros propter religionis famam celeberrima. Ad eam pater volebat Glodesindim secum adducere, ut vel eius persuasione animus puellae emollitus, paternis non detrectaret parere consilijs. Sed quid contra lumen aeternitatis caeca molitur infatigata? Sancta virgo, post habitum paternis iussis, Metim Mediomatricum urbem, populis, potentia & antiquitate memorabilem, profecta est. In ea urbe basilica habetur beatissimi protomartyris Stephani, multis miraculorum signis illustris. In eam ancilla Christi, cum iam res propere ad vim spectaret, ingressa, intra altare & confessionem, ubi cum eiusdem praecleari martyris sanguine, plurimorum Sanctorum reliquiae continentur, se profugam abdidit. O seculis omnibus castitatis studium merito efferendum. Quod enim fluxa mortalitas, natura per peccatum vitiata trahente, captiua descendit: hoc puella, spiritus vigore ipsam fortiter retinente, quasi immanis praecipitij voragine perhorrescens, cum non pateret alia euadendi via, fugae praesidium captiuitatis. Nec sane infimae sortis, non egeni aut quilibet e plebe erant, qui cogere. Nimirum Dux praepotens pater erat, qui & ipsis locupletibus terrori esset, & cum cohors minax & terribilis stipantium satellitum comitabatur. At virgo pudica mori paratior, quam florem virginitatis & clarissimae integritatis splendorem prodere, nec minis concussa, nec blandimentis illecta, tanquam in portu tutissimo interrita manebat. Discant virgines praesenti exemplo, non pulcherrimum ipsis esse maritalibus implicari vinculis: nec possessionum amplitudine, nec seruatorum ancillarumque gregibus, non ornamentorum diuersi generis apparatu, non quorumcunq; obsequentium cuneis delectentur: maxime quod sciant haec omnia varijs casibus non sine multo dolore, si sint amata, posse eripi, nec quicquam ex ijs sequi aut comitari a corpore excedentes, morte omnia dissipante. Quin potius beatae integritatis, Deo angelicisque agminibus vnicuique charae, praeter omnibus mundi huius vilibus & caducis oblectamentis, sancto & immaculato serantur desiderio, illius eximia pulchritudine illecta.

\* Rothilda

Fugit Metim, & intra ecclesiam latitauit.

Exemplum imitabile virginitatis conseruanda.

Sed ut cepta prosequamur, parentes puellam fugientem euestigio insecuti, tum eius facto obstupescati, tum ira inflammati, praesertim quod sponsum administris delusos conuesti, acrioris doloris stimulis vrgerentur, ancillam Christi ex sacro perfugij loco omni arte adhibita extrahere conabantur. Itaque siti iugis ante fores adis sacra pernoctatio, intenta diu nocturnae obseruatio, ut qualibet fortassis oblata facultate, vi eam possint abducere. At puella venerabilis, robusto spiritu animoque obfirmato immobilis perseuerans, sacrosancto adharebat altari, nec vlla indè ratione vel puncto temporis aliquatenus potuit auelli: & quod dictum mirum est, sex perpetuos in ecclesia dies permanens, non modò nusquam egressa est, sed etiam omni prorsus cibo potuque abstinuit. Verum is, qui dat escam omni carni, & implet omne animal benedictione: famulam suam humanis frustratam, diuinis, recreauit alimentis,

Parentes eam persequuntur fugientem.

Diuinis alimentis recreatur.

Psal. 137. & 144.

Diuitiis ei  
sacri vela-  
mē imponi-  
tur, & ita cel-  
sā ei mole-  
stia exhibe-  
re parentes.

eamque precibus assiduis cælo intentam, angelica refectione sustentauit. Interea tam constanti fide perseverantia suæ remuneratione exigente, lux gratissima diuina consolationis repente emicuit, quæ omnem illam mœroris nubem dissiparet. Instante enim iam die septimo, qui erat Dominicus, vir quidam vultu angelico, duobus pueris formosissimis sequentibus, sub omnium conspectu aduenit, partemque altaris, quæ virgo sacratissima pudoris tuendi causa celabatur, recta ingressus, velamen, quod esset sanctæ religionis specimen, cunctis cernentibus, in eius caput imposuit. Moxque cum duobus pueris ab eorum oculis sublatus, rei magnitudine & nouitate omnium animos obstupescit, atque adeo propè mētis inopes effecit, ut neque proloqui quicquam, neque quinam aut vnde illi essent, qui eò aduenerant, sciscitari possent. Cum verò ea visione ablata, ad se rediissent, & sanctam virginē ita velatam conspicerent, facile animaduertent angelos illi apparuisse, totumque, quod viderant, diuinitus fuisse. Itaque non se vltra opposuere virgini, sed ad eius vestigia humi prostrati, omni feritatum ore in supplices gestus mutato, pro irrogatis iniurijs veniam petierunt. Nec verò apud eius animum, cui spiritus pietatis & Rex mansuetudinis præfidebat, difficilis fuit ea veniæ impetratio: sed confestim perinde ac si nihil esset perfecta molestia, in integrum cum parentibus & cæteris gratiam redijt.

Virginitas  
quæ sit grata  
Deo & an-  
gelis.  
Apo. 14.

Psal. 33.  
Psal. 84.

Esa. 61.

Ibid. iuxta  
70.

\*Rothildæ,  
\*Rodindæ,

Construit  
monasteriū  
& multis il-  
lic præest  
virginibus.

Attendant hæc virgines, & castitatis thesauro discant nihil Deo gratius, nihil angelis familiarius. Virginitati Christus inter omnia adest discrimina: spiritus caelestes, ut sponsæ Imperatoris sui, deuotissimi obsequuntur. Ea sola agnum ubique sequitur, immaculata immaculatum: quantoque ei arctiori necessitudine coniungitur, tanto in precibus suis propensius exauditur. En quàm præstò huic ancillæ suæ gratia illa ineffabilis adfuit. Verè propè est Dominus omnibus, qui obtriuerunt cor: & propè timentes eum salutare ipsius. Quo verò ore tum eam puras in laudes sui erupisse creatoris: aut cuiusmodi voce hymnum inestimabili cum iubilo fuisse, cum oculis illius lucis inuisibilis tam placidè in se cōiectos, & aures illas secretissimas voci suæ tam celeriter adnotas, tamque facili via preces suam habuisse effectum cognouit, idque adeo, ut angelum Dei sub ipsis mortalium oculis ad se exhilarandam & consolandam præpotenti maiestate aduenisse gratularetur? Nimirum iam sponsa caelestis Regis effecta, prophetica exultatione dicere poterat: Induit me Dominus vestimēto salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me. Itemque voce vniuersæ Ecclesiæ, ex utroque sexu collectæ, vni capiti suo dicere gratulabūda: Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponfam ornauit me ornamento (vel mundo.)

Cum ergo, ut diximus, sancta virgo visceribus pietatis affluens, cunctis ipsi paulo antè infestis libenter ignouisset, & parentibus deinceps comiter se submisisset, ad suam prædictam amitam suam \* Rothildam, magnæ probitatis fama insignem, quam tum, cum de secundis nuptijs ageretur, fugerat nō mente contumaci, sed pudori metuens: in gratia percepta non minimum fidutiæ gerens, Treuiros spontè contendit. Ibi verò pro modo conuersationis tempore non multo exacto, cunctis bonorum morum studijs ad caelestis disciplinæ & æqui ac honesti præscriptum plenissimè imbuta, urbem propter diuina patrocina ipsi amicam Metim repetijt, atque illic quam primum vitæ arctioris institutum, cui iam pridem sanctus eius spiritus toto pectore inhiabat, ancillarum Christi grege collecto, magno studio complexa est. Est intrā eius vrbis moenia locus quidam, hæreditario iure tunc parentum eius ditioni subiacens, religiose viuendi instituto admodum opportunus. Eum sancta virgo dono dari sibi petijt, diuinitus visibus applicandum. Non est negatum ei, quod petijt, moxque puellarum Dei monasterium, in hunc usque diem insignem, multa operis elegantia construxit, sed elegantiori virtutum decore præclare gubernauit. In quo usque ad centenarium numerum Christo famulantes collegit, quibus etiam omni sedulitate inuigilauit.

Quæ verò eius ibi deinceps in sancto certamine conuersatio fuerit, quæ omnis generis spiritalis profectus accessio quotidiana, quo disciplinæ rigore seipsam continuauerit, & cæteris, quibus dux caelestis itineris facta erat, in se, quod sequerentur, exhibuerit, sicque eis potius, quàm sibi, vixerit: id ego sanè cogitandum alijs relinquere, quàm scripto prosequi, malim. Nam attentius consideranti perspicuum fit, sanctam virginem ob oculos cordis semper versantem caelestem illam & angelicam visitationem, non minus opere exteriori strenuam, quàm spiritu feruentem, fuisse. Denique cum monasterium illud totidem annis, quot diebus in mirabili inedia in ecclesia durauerat, feliciter gubernasset, Deo hominibusque chara, vita quoque & miraculis insignis, in propo-

proposito sanctitatis cursu fideliter peracto, coronam iustitiæ perceptura à Domino, sponsoque diù desiderato in caelesti thalamo socianda, immaculata ab hoc seculo migravit. Totum vitæ suæ spatium triginta annis fertur consecisse. Nec id quicquam sanctitati eius derogare debet, cum quicquid fructuum annosa senectuti fuerit accessurum, nihil in dè breui consummata iuuentus diminuerit. Vt enim in Sapientiæ libro habetur, Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Quin potius magno Dei munere, iusti in æternam quietem recipiendi, mundo providè subtrahuntur, nè videntes mala, quæ fiunt sub sole, aut ab internis retardentur delicijs, aut vitijs mortalis vitæ, quorum ipse quoque noxius est conspectus, contactu assiduo corrumpantur. Raptus est, inquit Sapientia, nè malitia mutaret sensum eius, aut scitio deciperet animam illius. Funus virginis debito honore curatum est, & ex more ab ea in illo monasterio iam in dè ab initio instituto, ad sanctorum Apostolorum basilicam haud procul ab urbis mœnibus versus meridiem exportatum, atque illic in crypta admodum depressa ad sinistrum latus depositum est. Ità enim ipsa viuens iusserat, quòd per id tempus sanctorum eius loci puellarum cœmeterium in Apostolorum ecclesia esset, & necdum corpus gloriosissimi confessoris Christi Arnulphi, quem post multa in dè tempora magnis vitæ & virtutum insignibus enituisse constat, eadem ecclesia augusto, vt nunc cernitur, tumulo suscepisset. Vndè etiam postea nomen illi ecclesiæ impositum est, nec vllius alterius Sancti, præterquam ipsius beati antistitis, apud vulgum illic memoria notata est. Mansit autem sacræ virginis venerabile piægnus annis circiter vigintiquinque in eodem loco humatum, spiritu inter præmia æternitatis, omni iam temporis mutabilitate subacta, illi, qui verè solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, adherente, vitæque immortaliter & immutabiliter cum illo perfructe, cui immortalis, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Abit in caelos, septimo regiminis sui anno.

Sap. 4.

Ibidem.

Ex hoc loco conijcio, in principio historie, mense legi Childericum regem.

1. Tim. 3.

HISTORIA TRANSLATIONIS CORPORIS BEATISSIMI GERMANI EPISCOPI PARIENSIS, PER  
*monachum quendam monasterij eiusdem S. Germani, qui eam ex ore Caroli Magni Imperatoris scripsisse asserit.*



PER AEPRECIVM reor nequaquam silètio prætere, Julij 25. re, qualiter beatissimus Germanus venerabilem corporis sui trãspõsitionem præcuntibus voluit signis ostendere. Etenim cum ducentis circiter vel eo amplius annis in porticu ecclesiæ beati Vincentij leuitæ & martyris, iam quidem basilica facta, sanctũ eius corpus iacuisset humatum, anno xxij. quo Carolus Pipini senioris filius regni Francorum tenebat monarchiam, venerabilis vir Lantfredus præfati monasterij pater, diuini spiritus incitamento succensus, qualiter tanto patrono condigna deberet augeri veneratio, vt videlicet eius sanctissima membra infra ma-

Carolus Magnus

Lantfredus monasterij S. Germani Abbas.

ioris ecclesiæ aulam transferri debuissent, tacita cœpit mente tractare, atque deuoto non destitit corde rimari. Sed quoniam pijs semper conatibus impedimenta huius seculi obijciunt, eiusdem negocij dilato tempore, à supra scripto principe legationis causã in Aquitaniam mittitur. Interea Carolus moritur: idem verò Abbas ab Hunoldo ipsius Aquitanie patricio quasi explorator tribus semis annis inuitus detinetur. Sed tandem substituto in regno Pipino minore, firmataque inter regna pace, Lantfredus absoluitur: qui reuersus, annis ferè duodecim in restauratione monasterij, quod eo absente dissipatum fuerat, occupatur.

Pipinus minor Francorum Rex.

Sed licet his & alijs causis præpeditus, tamen nè deuotionis pristinae posset obliuisci, recentibus & admirandis beati Germani rursus cœpit miraculis admoneri. Si quidem anno sequenti, ex quo Apostolicę sedis Põtifex Stephanus ingressus Gallias excellentissimi Pipini, quem idem vnxit in regem, contra gentem Longobardorum Romanã sedem crudeliter opprimentem expetiuit auxilium, cuidã foemina huiusmodi ostesa est visio. Putabat enim se quasi causã orationis noctis tẽpore ad ecclesiã beati

Fuit hoc sub annum 754.

Visio cuiusdã foeminae.